

441

439

445

435

450

430

490

390

540

340

430

de quo ecclesia festivat sexto Decembris, sed alterius; et corpus S. Theodori, et baculus pastoralis S. Nicolai magni, et tibia cum pede S. Mariae Aegyptiacae, et brachium cum manu S. Porphyrii martyris, conversi per S. Catharinam. Ad S. Dominicum est pes integer S. Catharinae de Senis, et plures aliae reliquiae. Ad Apostolos est corpus S. Marinae virginis, de qua in vitis patrum mentio fit. In ecclesia Sanctorum Johannis et Pauli sunt eorumdem Sanctorum reliquiae, et S. Petri martyris, et plures aliae. In ecclesia Castellana sunt multa particulares reliquiae et indulgentiae speciales per totam quadragesimam. Ad S. Andream, ubi sunt Carthusienses in insigni monasterio, cuius simile vix vidi, sunt reliquiae S. Andreae apostoli et sancti Laurentii. Ad S. Danielem est corpus S. Johannis martyris. Ad S. Mariam Virginem est corpus S. Sabbae Abbatis, et multae aliae. Ad sanctum Canticum est corpus S. Maximi episcopi. Ad s. Jeremiam est corpus S. Magni, primi Venetorum episcopi. Ad corpus Christi, ubi est egregium monasterium monialium ordinis nostri, est caro Christi miraculosa, et plura alia. Ad S. Marcum est corpus S. Isidori. Praeter haec alia multa sunt hinc inde per ecclesias.

### Thesaurus.

Septimum, quod venustat Venetiarum urbem, est praedicto annexum, thesaurorum multorum pretiositas. Quantus ibi thesaurus sit in auro, argento et lapidibus pretiosis in omnibus ecclesiis et monasteriis, in thecis, sarcophagis, monstrantibus, reliquiariis, crucibus, imaginibus et similibus, partim videtur in processionebus cum stupore et admiratione. Quantus in calicibus et Missae paramentis cottidie cernitur. Apud S. Marcum in quadam testudine est thesaurus Venetorum, summa cum diligentia reclusus; in sacristia vero est thesaurus, qui certis festivitatibus profertur. Ibi vidi XII coronas et XII pectoralia de auro probatissimo, ornata margaritis, sapphiris et smaragdis aliisque gemmis. Ibi vidi sex aureas cruces, gemmis incomparabilibus ornatas, quae non sunt parvae. Ibi est capellum, quasi birretum, quo quilibet dux Venetorum singulari privilegio coronatur, et est pretii inestimabilis. Ibi sunt duo candelabra aurea magna, quibus inserti sunt

Ende

Anfang

